ANALECTA.

XLII. Plauti versus in Milite glorioso 705 ss. a Ritschelio ita scribuntur,

quándo habeo multós cognatos, quíd mihi opus est liberis?
núnc bene vivo et fórtunate atque út volo atque animo út lubet.
nám mea bona meis cognatis dicam, inter eos pártiam:
[ideo ut liberí] me curant. visunt quid agam, ecquid velim:
príusquam lucet ádsunt, rogitant noctu ut sómnum céperim.

in primo versu libri Camerarii et Ursini *opus fuit mihi* habent, in Ambrosiano adparuit *opusm* . . . . hinc suspicere scribendum esse *quid opus mihi sit liberis?* versu tertio vetus Camerarii liber habet *Mea· bonam ea morte cognati·,* erasis eis litteris quae in decurtato ita scriptae sunt, *Meam bonam ea morte cognatim,* in Ursiniano ita, *Meā bona mea morte cognatī,* ex quo factum est *Mea bona mea morte cognatis,* id quod etiam in libro Ambrosiano Ritschelio videbatur esse. scribendum esse *in morti cognatis* Bothius recte intellexit: tantum abest enim ut *morte* e glossemate natum sit ut aegre eo verbo careamus. totum versiculum ita concinno,

bóna mea in morti cognatis dídam, *inter eos pártiam.*

nam dicendi verbum alienum est. idem illud *didam* restituo in Persa v. 757,

núnc ob eam rem intér participes dídam *praedam et párticipabo.*

scriptum est *dividam,* antecedunt autem eidem numeri trochaici. versus quartus in Camerarii libris ita scriptus est, *Li apud me* (*te* vetus) *ederunt me curabunt,* in Ursini libro non *Li* est, sed *Illi.* in Ambrosiano non *Illi* fuit, sed duae tantum litterae, quarum altera *i* esse Ritschelius dicit: deinde eidem *apud* . . . . *mecurant* adparuit. hinc veri simile est Plautum scripsisse

éi *apud me* sunt, éi *me curant: visunt quid agam, ecquid velim.*

reliquorum praeter Ambrosianum librorum vitiis hoc subest, *ei apud*

med erunt, me curabunt: sed adversantur numeri et praestant sane praesentia.

In eodem Milite v. 910 scribo

quasique éa res per me intérpretem et tuam áncillam coeretur.

libri decurtatus et Ursinianus *ancilla ceretur,* vetus Camerarii *ancillam eieceretur.*

Versu 997 vetus liber Camerarii et Ursinianus habent *Domosibit ac dum huc transibit,* discrepat decurtatus eo quod *Domus ibit* habet. latere *domina* Acidalius vidit. suspicor scribendum esse

dómina ubi actutum *húc transibit.*

Versum 1013 Camerarii libri talem praebent

Sotium tuorum conciliorum et participem consiliarium.

in Ursini libro est *Sociorum tuorum consiliorum.* scribi potest

sociénnum *tuorum cónsiliorum et párticipem* insidiárum.

Versu 1040 miles multas se demori gloriatur quibus copia non sit. respondet Milphidippa

hém ecastor haut mirumst si habes carum
hominém tam pulcrum et praéclarum virtúte et fortem fáctis.
heus, dígnior fuit quisquam, hómo qui esset?

libri *mirum si:* e quo sponte nascitur quod posui. tum *fortem* Ritschelio debetur: libri *formam.* secuntur Palaestrionis verba,

non hércle humanust érgo.
nam vólturio plus húmani credóst.

libri habent *humanum stergeo,* quod ut emendaretur valde mirabilia proferri memini. quod posui *non hercle humanust ergo* Palaestrio clara voce et ut militem aduletur loquitur, tum ita ut ille non audiat addit *nam volturio plus humani credost.*

Lepida admodum sunt quae Saturio parasitus in Persa v. 77 ss. dicit, sed emendanda correcto uno verbo,

nunc húc intro ibo: visam hesternas réliquias,
quiérint recte nécne, num afuerít *febris,*
opértaen fuerint né quis obreptaverit.

scriptum est in libris *infuerit:* non recte Bothius *fuerit,* Ritschelius *is fuerit.* Curc. v. 17 *caruitne febris te heri vel nudius tertius Et heri cenavistine?*

XLIII. Ex Phoenice Ennii Nonius p. 245 27 haec profert, *tum tu isti credere atque exerce linguam* (plerique libri *lingua*), *ut argutari possis.* requiri *crede* Turnebus vidit. Ribbeckius autem in Tragicorum Latinorum reliquiis p. 43 s. haec ita interpolavit,

tún potuisti crédere? —
[mélius exacue] átque exerce línguam, ut argutárier póssis.

ne haec quidem displicuerunt Vahleno p. 134. scribendum est

tum tu ísti crede te *átque exerce línguam ut argutárier possis.*

videtur enim eiusmodi fuisse sententia 'fortiter agendi magistrum sequere, non argute dicendi. quodsi tamen loquendi potius quam faciendi praestantiam adpetis, tum te isti conmitte.'

XLIV. Charisius p. 99 P. *contubernale. Pomponius in Macco milite 'cum contubernale' inquit 'pugnavi quia* (q̧ codex) *meam cenam.'* in Comicorum Latinorum reliquiis p. 200 haec ita scribuntur,

Cum cóntubernalei pugnavi quód meam cenam . . .

factum id est calidiore consilio: nam *contubernale* Iulius Romanus propter hanc ipsam ablativi casus formam attulit, ut mox *cereale* et in eodem capite multa alia. scribendum erat

cum contubernále pugnaví quia
meam <cenavít> cenam.

in vocabulo quod est *contubernale* tertia syllaba aut corripitur aut cum altera coalescit, ut in *tabernaculo* fit apud Plautum Trin. v. 726,

cássidem in capút. dormíbo plácidule in tabernáculo.

idem fit in *gubernabunt* in Milite glorioso v. 1091,

lepidé factumst: iam ex sérmone hoc gubernábunt doctius porro.

Nonius p. 83 28 *comedim pro comedam. Plautus Bacchidibus 'quod dem scortis quodque in lustris comedim, congraecem, pater.' Cicero in Varronem epistula Paeti 'set cura, si me amas, ut valeas, ne ego* (addendum *te*, quod est in Ep. ad fam. IX 20) *bona tua comedim: statui enim tibi ne aegroto quidem parcere.' Pomponius Prostibulo ego quaero quod edim, has quaerere quos cacent contrarius est.'* Pomponii versus in Comicorum reliquiis p. 209 sic scribitur,

ego quaero quód edim, hae quaerunt quód cacent: contráriumst.

scribendum potius videtur

égo quaero quod cómedim, hos *quaerere quód cacent contráriumst.*

certe *edim* Nonius alio loco p. 507 aliisque exemplis explicat. ibi ex Novii Bubulco haec profert, *quod editis nihil est, quod cacetis copia est.* eadem est Pomponiani versiculi foeditas, in quo *has* in *hos* mutandum esse adparet. possum similia addere, sed nolo turpissima longius prosequi. in quarti pedis dactylo nulla est offensio.

XLV. Apud Petronium cap. 20 p. 20 8 Buech. haec scripta sunt,

Ascyltos iam deficiente fabularum contextu '*quid ergo?*' *inquit:* '*non sum dignus qui bibam?*' *ancilla risu meo prodita complosit manus et* '*apposui quidem, adolescens: solus tamen medicamentum ebibisti.*' '*itane est?*' *inquit Quartilla:* '*quidquid satyrii fuit Encolpius ebibit?*' in his *prodita* non intellego, intellegerem *prolecta.* deinde ut post *apposui quidem* aliquid excidisse statuamus minime necessarium est. satis enim perspicitur adposuisse illam medicamentum Ascylto quem adloquitur, neque inusitatum est ubi per *et* particulam transitus fit a narratione ad ipsa alicuius verba tamen omitti *inquit.* Phaedrus I 29 9 *aper, cum vellet facere generosum impetum, Repressit iram et* '*facilis vindicta est mihi, sed inquinari nolo ignavo sanguine.*' neque vero postea quicquam addendum est, sed scribendum *solus tamen medicamentum* ebibit iste.

Contra excidit sane aliquid in his quae cap. 4 p. 6 12 leguntur, *quodsi paterentur laborum gradus fieri, ut studiosi iuvenes lectione severa inrigarentur, ut sapientiae praeceptis animos componerent, ut verba atroci stilo effoderent, ut quod vellent imitari diu audirent sibi nihil esse magnificum quod pueris placeret, iam illa grandis oratio haberet maiestatis suae pondus:* sed *ut discerent* post *audirent* excidisse inanis est opinio. *sibi* enim quod sequitur ostendit scribendum esse *ut quod vellent imitari diu audi*rent, ut persuader*ent sibi nihil esse magnificum quod pueris placeret.*

XLVI. Cum alia multa quae in scriptis L. Annaei Senecae mendosa sunt nullam doctis hominibus suspicionem moverunt, tum illa quae in Dialogo V sive in libro de ira I 37 3 leguntur, *non aequis quendam oculis vidisti quia de ingenio tuo male locutus est. recipis hanc legem? ergo te Ennius, quo non delectaris, odisset, et Hortensius simultates tibi indiceret, et Cicero, si derideres carmina eius, inimicus esset.* non potuit Seneca causam simultatum ab Hortensio expectandarum praeterire cum Enniani Tullianique odii causas adderet. itaque post Hortensii nomen eiusmodi aliquid intercidit, *si orationes eius inprobares.* nimirum ea quae omissa sunt et *simultates* quod sequebatur eisdem litteris incipiebant: quo factum est ut in transcribendo peccaretur.

In libro de beneficiis VI 23 6 haec scripta sunt, *vide animi quantum audeant, quemadmodum soli aut noverint deos aut quaerant et mente in altum data divina comitentur: scies non esse hominem tumultuarium et incogitatum opus.* nimis securo homines docti de lingua Latina fuerunt animo. scribendum est enim *mente in altum* elata.

idem mendum tollere dudum oportuerat ex Plinii Nat. hist. xi § 68, ubi quod scriptum erat *in altum datae* nuper demum correctum est recepto ex libro Lavantino *elatae.* sermo est de apibus.

XLVII. Quod scriptum est apud Senecam Ep. 64 8 *vis subita* mutandum esse in *pituita* alias docui conmemoravique inter alia quae Nonius p. 119 18 habet, *gramiae, pituitae oculorum.* poteram addere quod in Placidi Glossis apud Maium Class. auct. t. iii p. 467 legimus, *gramis, gremis, quae sunt pituitae oculorum.* quae interpretamenta qui consideraverit non putabit Paulum scripsisse quod apud Muellerum p. 96 et in ceteris exemplaribus omnibus legitur, *gramiae oculorum sunt vitia, quas alii glamas vocant,* sed *vitia* mutandum esse in *pituitae.*

XLVIII. Ad Horatii illa Serm. i 4 52, *numquid Pomponius istis Audiret leviora, pater si viveret?* Porphyrio haec adscripsit, *mira urbanitate et amaritudine Pomponi persona abusus est quasi argumenti loco ut eum carperet.* cui admonitioni parendum erat saepenumero etiam alias ubi et olim et nuper interpretes eos homines quos Horatius ex inproviso carpit inter dudum mortuos et a Lucilio perstrictos quaesiverunt. in Cruquiana sylloge consimile scholion invenitur, *quam est haec Horatiana et tacita obiurgatio Pomponii luxuriose viventis.* sed *tacita obiurgatio* ineptum est, neque minus inepte antea in alio apud Cruquium scholio ad *nepos,* quod v. 49 legitur, adscriptum est *tacita et egregia significatio filii luxuriose viventis.* patet autem utrobique scribendum esse *faceta.*

XLIX. In epitoma Ethnicorum Stephani Byzantii haec leguntur, *Ἀγρίαι, ἀρσενικῶς, ἔθνος Παιονίας μεταξὺ Αἵμου καὶ Ῥοδόπης. — λέγονται καὶ Ἀγριᾶνες, ὡς ἐν τῷ ἐπιγράμματι γραφέντι εἰς Νεοπτόλεμον Πισίδην οὕτως*

Εἰμὶ Νεοπτόλεμος Κρεσσοῦ, τρισσῶν δ' ἕν' ἀδελφῶν
ἔστασαν Τλωεῖς, κῦδος ἐμὸν δόρατος,
οὕνεκεν ὢν Πισίδας καὶ Παίονας ἠδ' Ἀγριᾶνας
καὶ Γαλάτας τόσσους ἀντιάσας στόρεσα.

frivola sunt maxima ex parte quae de hoc epigrammate Iacobus Gronovius scripsit neque debuit ea repetere Iacobsius Anth. Gr. t. xiii p. 767. adscripsi versus quales Meinekius p. 21 dedit: sed insunt quae mirer atque emendanda esse censeam. ac primum quidem quid attinuit Neoptolemum unum e tribus fatribus dicere cum nihil tamen de fratribus eius duobus adderetur? deinde *κῦδος ἐμὸν δόρατος*, si verum fateri volumus, non potest intellegi: neque enim adparet unde suspensum sit. vidit hoc Alphonsus Heckerus Comm. crit. de Anth.

Gr. I p. 77 neque dubitavit quin recte ita emendaverit, κῦδος ἑλόντα δόρι, nisi quod δορός fortasse praestare dixit: sic commodam esse sententiam. at remanet incommodum illud τρισσῶν δ' ἕν' ἀδελφῶν, quod Heckerum non offendisse miror. sed, quod Meinekius conmemorare oblitus est, ἕν' ab Iacobsio factum est Anth. Pal. t. III p. 926, libri ἐν habent. versu tertio Bergkius in Diario studiorum antiquitatis a. MDCCCXLIV p. 271 non recte scripsit οὕνεκ' ἐγώ. nimirum Πισίδας nominativus est casus verumque est aut οὕνεκεν ὤν aut quod Salmasius ex suo libro protulit οὕνεκ' ἐών. scilicet in Neoptolemum Pisidam epigramma esse scriptum Stephanus dixit ipso fretus epigrammate. Tloes autem qui in eo memorantur non Lycii fuerunt, sed Pisidici. Stephanus p. 627 13 postquam de Lyciae urbe dixit haec addit, ἔστι καὶ ἄλλη Τλῶς, πόλις Πισιδίας. itaque a Pisidis Pisidae Neoptolemo monumentum positum est propter devictos tres populos. sed horum populorum eum qui primo loco commemoratus erat ignoramus qui fuerit. nam καὶ Παίονας scriptum est a Salmasio: libri habent καὶ ἄνες. non mala tamen Salmasii est coniectura: quamquam enim Agrianes a Stephano Paeoniae gens dicuntur, adcuratius tamen alii eos a Paeonibus distinguunt, neque Stephanus ἔθνος Παιόνων dixit sed Παιονίας. ultimo epigrammatis versu in libro Rehdigerano τοσοὺς (σ superscriptum), in ceteris τοσσοὺς scriptum est. vitii admonet accentus, sed admonet simul emendationis. nam si incertum illud καὶ Παίονας exceperis, restitui potest epigramma arte leni et certa. scribendum est enim

Εἰμὶ Νεοπτόλεμος Κρεσσοῦ, τρισσῶν δ' ἐν ἀδελφῶν
ἔστασαν Τλωεῖς κῦδος ἐμοῦ δόρατος
οὕνεκ' ἐὼν Πισίδας καὶ Παίονας ἠδ' Ἀγριᾶνας
καὶ Γαλάτας, τρισσοὺς ἀντιάσας, στόρεσα.

altero versu ἐμοῦ Gronovii est. ἀντιάζειν cum accusativo casu coniunctum exemplis firmat Lobeckius in Ai. v. 801. itaque Tloes Pisidici Neoptolemo Pisidae statuam propter tres populos devictos in trium fratrum templo posuerunt, idque cum aliquo acumine dicitur. qui tres fratres utrum Iuppiter Neptunus Pluto fuerint an alii significentur, de quibus coniecturam facere non tam difficile est quam inutile, dicere non possum.

L. Paucula addere volo Comicis Meinekii neque ea magni momenti: nihil enimvero, quamvis sit pusillum, in his rebus videtur esse neglegendum.

Vol. II p. 247 his leguntur versus,

ὠνείδισάς μοι γῆρας ὡς κακὸν μέγα,
οὗ μὴ τυχόντι θάνατός ἐσθ' ἡ ζημία,
οὗ πάντες ἐπιθυμοῦμεν, ἂν δ' ἔλθῃ ποτέ,
ἀνιώμεθ'· οὕτως ἐσμὲν ἀχάριστοι φύσει.

Ciceronis haec sunt in Catone maiore cap. 2, *quo in genere est in primis senectus, quam ut adipiscantur omnes optant, eandem accusant adeptam: tanta est stultitiae inconstantia atque perversitas.* potest fieri ut illos versus, quorum interpretes eius meminerunt, in animo habuerit.

Cum eis quae vol. III p. 100 (XCVIII) ex Maximo confessore proferuntur conparari potest proverbium quod est apud Demosthenem in Aristog. I p. 782 15 R., *ἀλλὰ μὴν τοὺς γενομένους κύνας τῶν προβάτων κατακόπτειν φασὶ δεῖν.*

Vol. IV p. 122 (VIII). versum hunc Menandri, *οὐδὲν πέπονθας δεινὸν ἂν μὴ προσποιῇ*, paullo mutatum habet Iohannes Chrysostomus Hom. LXXX p. 771, *ἄκουσον καὶ τῶν ἔξωθεν ταῦτα φιλοσοφούντων καὶ λεγόντων "οὐδὲν κακὸν πέπονθας ἐὰν μὴ προσποιῇ."*

Vol. IV p. 614 (XLI). versum hunc, quem ex Cassii Dionis Historia adfert, *ἀφόρητός ἐστιν εὐτυχῶν μαστιγίας*, Meinekius dicit etiam alibi se legere meminisse. legitur apud Isidorum Pelusiotam Ep. II 297 *εἶθ' ὅτι καὶ μνημονεύεις ἐκείνων τῶν ἀρχαίων περὶ τῶν τοιούτων εἰρημένων, ἀφόρητος γάρ ἐστιν εὐπραγῶν μαστιγίας, καὶ ὅτι τὸ εὖ πράττειν παρὰ τὴν ἀξίαν ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται.* altera sententia Demosthenis est Olynth. x § 16.

Libanius Ep. 195 haec habet, *οὐδεὶς γὰρ ἐναντίαν Ἱερίῳ θήσεται τῷ τῶν μὲν ἄλλων διαφέρειν κατὰ τῆς φιλοσοφίας ἔρωτα, τῶν δ' αὖ φιλοσοφούντων τῷ χαίρειν ἐᾶν πωγῶνα καὶ τρίβωνα καὶ βακτηρίαν.* senarium animadvertit Wolfius. potest comici poetae fuisse

χαίρειν ἐᾶν
πωγῶνα καὶ τρίβωνα καὶ βακτηρίαν.

LI. In excerptis ex libro Polybii XX cap. 9 p. 905 6 Bekk. haec narrantur, *οἱ δ' Αἰτωλοὶ καὶ πλείω λόγον ποιησάμενοι περὶ τῶν ὑποπιπτόντων ἔκριναν ἐπιτρέπειν τὰ ὅλα Μανίῳ, δόντες αὑτοὺς εἰς τὴν Ῥωμαίων πίστιν, οὐκ εἰδότες τίνα δύναμιν ἔχει τοῦτο, τῷ δὲ τῆς πίστεως ὀνόματι πλανηθέντες, ὡς ἂν διὰ τοῦτο λειοτέρου σφίσιν ἐλέου ὑπάρξοντος.* Reiskius, a quo *ἐλέου*

factum est ex *ἠλειοῖ*, coniecit scribendum esse *ἑτοιμοτέρου* vel *προχειροτέρου*, et est sane utrumque tam aptum quam ineptum est *λειοτέρου*, sed veri simile neutrum est. scribendum est *τελειοτέρου*, cuius verbi prima syllaba quomodo neglecta sit satis adparet.

LII. Ad Rhesi v. 347 in scholiis haec Heracliti narratio adscripta est, *ἑβδόμη δὲ Καλλιόπη ποίησιν εὗρε ποιημάτων* (sic Hermannus: liber Vaticanus *πάντων*) *καὶ συνοικήσασα Οἰάγρῳ* (sic Hermannus: liber *συνοικήσαντα ἀγρῷ*) *γεννᾷ Ὀρφέα, τὸν πάντων μέγιστον ἀνθρώπων ἐν τῇ κιθαρῳδικῇ τέχνῃ γενόμενον, πρὸς δὲ καὶ τῆς ἐγκυκλίου μαθήσεως συγκρεματικώτερον· ὀγδόη δ' Εὐτέρπη, ἣ τὴν κατ' αὐλοῦ εὗρεν εὐέπειαν, συνοικήσασα Στρυμόνι ἐντεκνοῖ* (sic Hermannus: liber *ἐντεκνῶ*) *Ῥῆσον, ὃς ὑπὸ Ὀδυσσέως καὶ Διομήδους ἀναιρεῖται.* planum est ubi monstrum verbi *συγκρεματικώτερον* legitur requiri *ἐμπειρότατον* vel simile aliquid, neque id fugit Guilelmum Dindorfium. latere autem videtur doctius quid et depravationi, quae maxima est et paene portentosa in illis scholiis, magis obnoxium. unde audaciore quidem coniectura, sed quali in hac vitiorum colluvie saepe utendum est suspicor scribendum esse *πρὸς δὲ καὶ τῆς ἐγκυκλίου μαθήσεως συγκεκροτημένον.* similiter dixit praeter alios Demosthenes in oratione Olynthiaca altera § 17 *δόξαν μὲν ἔχουσιν ὡς εἰσι θαυμαστοὶ καὶ συγκεκροτημένοι τὰ τοῦ πολέμου.* genetivus cum hoc participio ita coniunctus est ut Philostratus dixit *θαλάττης οὔπω γεγυμνασμένοι* aliique similia, de quibus disputavit Hemsterhusius adn. in Thomam magistrum p. 184.

LIII. Apuleius in Apologia cap. 9 hoc epigramma suum profert,

Florea serta, meum mel, et haec tibi carmina dono,
carmina dono tibi, serta tuo genio,
carmina uti, Critia, lux haec optata canatur
quae bis septeno vere tibi remeat,
serta autem ut laeto tibi tempore tempora vernent,
aetatis florem floribus ut decores.
tu mihi des contra pro verno flore tuum ver,
ut nostra exuperes munera muneribus,
pro implexis sertis complexum corpore redde,
proque rosis oris savia purpurei.
quod si animum inspires dona et iam carmina nostra
cedent victa tuo dulciloquo calamo.

recte Kruegerus quod v. 7 legebatur *das* in *des* mutavit: alii *da* posuerant. sed ultimum hexametrum non emendavit, qui intellegi non

potest. neque aut olim alii operae pretium fecerunt aut nuper is qui scribendum esse opinabatur *quod si animum inspirant dona haec tua*: nam ne hoc quidem intellegi potest aut, si potest intellegi, commoda est sententia. qualis autem quaerenda esset sententia Salmasius ex parte vidit: sed quod scribendum esse coniecit *quod si aulum inspires* neque vocabulum praebet quod placere possit neque consummat emendationem, cum *dona* in hac sententiae forma inutile sit. quod Apuleius scripsit minima mutatione restituitur: neque enim dubium mihi est ita eum locutum esse,

quod si animam *inspires* donaci, *iam carmina nostra*
cedent victa tuo dulciloquo calamo.

δόναξ a Graecis poetis saepe dicitur fistula, neque illud vocabulum Apuleium dedecet, quamquam alium poetam Latinum non memini eo uti.

LIV. Elegantissimum est Callimachi epigramma Anth. Pal. XII 150

Ὡς ἀγαθὰν Πολύφαμος ἀνεύρετο τὰν ἐπαοιδὰν
τὠραμένῳ· ναὶ γᾶν, οὐκ ἀμαθὴς ὁ κύκλωψ.
αἱ μοῖσαι τὸν ἔρωτα κατισχναίνοντι, Φίλιππε·
ἦ πανακὲς πάντων φάρμακον ἁ σοφία.
τοῦτο, δοκέω, χὰ λιμὸς ἔχει μόνον ἐς τὰ πονηρὰ
τὠγαθόν· ἐκκόπτει τὰν φιλόπαιδα νόσον.
ἔσθ᾽ ἁμῖν χακαστασ᾽ ἀφειδέα πρὸς τὸν ἔρωτα.
τουτι παικειρεν τὰ πτερὰ παιδάριον.
οὐδ᾽ ὅσον ἀττάραγόν τυ δεδοίκαμες· αἱ γὰρ ἐπῳδαὶ
οἴκοι τῶ χαλεπῶ τραύματος ἀμφότεραι.

postquam versum alterum Meinekius coniunctis eis quae Eldikius et Heckerus invenerant recte restituit restant quarti distichi menda: nam v. 6 Heckeri *ἐκκόπτειν* non puto esse necessarium. in disticho illo quae docti homines temptarunt non opus est refutare, nisi quod declarandum esse duco cur ne Bentleii quidem opinionem eumve modum quo Meinekius illa opinione usus est probandum esse existimem. Bentleius igitur scribendum esse coniecit *παστάς*, addidit tamen 'in hac summa festinatione nihil excogitare queo quod vel mihi ipsi arrideat.' Meinekius Bentleii inventum probat, sed ut recipi possit opus esse videt mutato distichorum ordine. scribendum igitur ita esse putat,

οὐδ᾽ ὅσον ἀττάραγόν τυ δεδοίκαμες· αἱ γὰρ ἐπῳδαὶ
οἴκοι τῶ χαλεπῶ τραύματος ἀμφότεραι.
ἔσθ᾽ ἁμῖν καὶ παστὰς ἀφειδέα πρὸς τὸν ἔρωτα·
τουτὶ ναὶ κείρει τὰ πτερὰ παιδαρίων.

pronomine quod est τύ poetam adloqui putat Philippum, a cuius amore se tutum praestare cupiat. sed primum τουτί Iacobsius mihi videtur rectissime alienum ab his versibus iudicasse: quidquid enim Callimachus carminibus suis ex Attico sermone admiscuerit, demonstrativa illa forma ab huius epigrammatis dialecto abhorret. deinde ἀφειδέα ἔρωτα non puto intellegi posse inpotentem puerorum amorem neque omnino illud dici hic potuisse, etsi recte dixit Paulus silentiarius Anth. Pal. v 255 εἶδον ἐγὼ ποθέοντας, ὑπ' ἀπλήστοιο δὲ λύσσης Δηρὸν ἐν ἀλλήλοις χείλεα πηξάμενοι Οὐ κόρον εἶχον ἔρωτος ἀφειδέος. accedit incommoda verborum conlocatio. denique uxoris conmemoratione acumen epigrammatis retunditur: contra si ita finitur, αἱ γὰρ ἐπῳδαὶ Οἴκοι τῶ χαλεπῶ τραύματος ἀμφότεραι, unum est et constans sibi epigramma, cuius omnis lepor eo continetur quod poeta duo valentissima amoris remedia sibi praesto esse adfirmat, poesin et famem. id quoniam summam sententiae efficit bis inculcatur. quae cum ita sint, censeo ordinem distichorum non esse invertendum, sed scribendum mutata tantummodo duarum vocalium specie

ἔσθ' ἁμῖν χἄκαστα (σάφ' ᾔδεα) πρὸς τὸν ἔρωτα.
τουτεῖ, παῖ, κείρευ τὰ πτερά, παιδάριον.

id est *habeo equidem utrumque adeo* (*bene noram*) *adversus amorem remedium. hic, puer, decidebantur tibi pennae, puerule.* quod dixit ἕκαστα, cum deberet ἑκάτερα vel ἀμφότερα, non prorsus desunt huius abusionis exempla dictumque de ea est a Ludovico Dindorfio in Thesauro Stephani t. III p. 355. repetam quae ibi prolata sunt et non nulla addam. itaque fuisse qui Iliadis III 1 IX 180 656 hunc usum reperire sibi viderentur ex scholiis cognoscitur: male quidem illi, sed intellegimus tamen non tam inauditam fuisse hanc dicendi rationem ut non potuerit de ea cogitari: et additur in scholio ad III 1 ἐστὶ δὲ Ἀττικόν, quod sane mirum est. loquitur autem ita Dionysius Perieg. v. 400, δισσῇ ζωσθεῖσα θαλάσσῃ, Αἰγαίῃ Σικελῇ τ'· ἄνεμον δέ τοι ἄλλαχ' ἑκάστῃ, Ἑσπέριον Σικελή, τόν τε ζέφυρον καλέουσιν, Αἰγαίη δ' εὖρον. similiterque v. 928, δισσῇ ζωσθεῖσα θαλάσσῃ, Περσίδι τ' Ἀραβίῃ τ'· ἄνεμον δέ τοι ἄλλαχ' ἑκάστῃ, Ἀραβίῃ ζέφυρον, Περσὶς δ' εὔροιο κελεύθους. ad priora Eustathius haec adscripsit, ὅρα ὅτι ὀφείλων ἑκατέρα εἰπεῖν διὰ τὴν Αἰγαίαν καὶ τὴν Σικελήν (ἐπὶ δύο γὰρ συλληπτικῶς λέγεται τὸ ἑκάτερος), ὁ δὲ ἑκάστῃ εἶπεν, ὅπερ ἐπὶ πλήθους εἴωθε λέγεσθαι. ποιήσει δὲ τοῦτο καὶ ἐν τοῖς μετὰ ταῦτα. καὶ ἔστι τοιοῦτόν τι καὶ παρὰ Ἑρμογένει. ibi Bernhardyus "Ἑρμογένει

nescio quo loco." leguntur haec in libro *περὶ εὑρέσεων* III cap. 8 p. 125 W., *ὥστε εἰς ἄπειρον προχωρεῖν δύνασθαι τὴν δριμύτητα εἰ ἡ λύσις μὲν εὐπορήσειεν ἐνστάσεως τε καὶ ἀντιπαραστάσεως, τούτων δὲ ἑκάστη πάλιν ἐπιχειρημάτων δύο ἢ καὶ τριῶν.* Dionysii Halicarnassensis haec adferuntur, Ant. Rom. III 2 *ἐξ ἑκάστης πόλεως*, ex Alba et Roma; VI 42 *ἕκαστος τῶν ὑπάτων*, T. Veturius et A. Verginius. ferri igitur fortasse poterit quod apud Aelianum de anim. II 43 scriptum est *ἔστι φῦλον ἱεράκων καὶ καλεῖται κεγχρὴς καὶ ποτοῦ δεῖται οὐδὲ ἕν, ὀρείτης δὲ γένος ἄλλο αὐτῶν, καὶ ἕκαστός ἐστι δεινῶς φιλόθηλυς καὶ ἕπεται κατὰ τοὺς δύσερωτας οὐδὲ ἀπολείπεται*, ubi *ἑκάτερος* requiri Schneiderus putavit. quod scripsi *σάφ' ᾔδεα* aptissimum est. nam cum ab Amore se sauciatum esse sentiret Callimachus animum non despondit: sciebat enim se duo eximia habere remedia. neque fefellit eum opinio. itaque sanatus ab ingruente morbo illud dicit *bene noram.* deinde cum Amoris inrisione dicit *τουτεῖ, παῖ, κείρευ τὰ πτερά, παιδάριον*, *hic*, id est *apud me, in mea domo, in qua et musae habitant et fames, decisis humilis pennis factus es, puerule, exutusque et potentia et superbia.* *τουτεῖ* Doricum etiam apud Theocritum V 33 45 103 in multis libris in *τουτί* depravatum est. denique coniuncta *παῖ* et *παιδάριον* in hac cavillatione non magis displicent quam blandimentum illud Aristophaneum *Εὐριπίδη, Εὐριπίδιον*, cui similia addi possunt. Philippus non puer est, sed amicus quidam Callimachi. in Nicotelen, Philippi alicuius filium, duodecimo anno mortuum epigramma scripsit, quod est Anth. Pal. VII 453.

M. HAUPT.

EIN RÄTHSEL.

In dem Laurentianus Plut. 32, 16 stehen an der Spitze einiger Räthsel der Anthologie folgende einer späten Zeit angehörige, so viel ich weifs ungedruckte Hexameter:

Πέντ' ἄνδρες δέκα νηυσὶ κατήλυθον εἰς ἕνα χῶρον·
ἐν δὲ λίθοις ἐμάχοντο, λίθον δ' οὐκ ἦν ἀνελέσθαι·
δίψῃ δ' ἐξώλλυντο, ὕδωρ δ' ὑπερεῖχε γένειον.

R. H.